



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

**Acta Synodalia Osnabrvgensis Ecclesiæ, Ab Anno Christi
MDCXXVIII.**

Brogberen, Johannes

Coloniæ Agrippinæ, 1657

§. 7. Quid si infirmus jam omnia necessaria adhibuisse dicatur?

urn:nbn:de:hbz:466:1-14298

§. 6.

Infirmus juvandus etiam in temporalibus.

POst spiritualia in temporalibus quoque adjuvandus est infirmus. 1. Uxori (si habeat) propiciat de dotis restituzione, vieti & aliis: Liberis, de piis tutoribus, recta institutione, educatione. Filiabus nubilibus de matrimonio seu monasterio, servis de salario, seu recompensatione exhibet servitutis; Creditoribus de solutione. 2. Si tutelam, bona Principis, Communis vel alia administravit, si officium publicum gessit, de quibus reddenda est ratio, fiat, dum tempus durat & ratio. 3. De sepultura sua modum statuat, superflua prohibeat. 4. Testamentum faciat legibus conforme, in quo heredes unum vel plures instituat; Uxor, liberis, creditoribus, ministris, pauperibus provideat; vel si testamentum jam factum sit, videat an in eo aliquid de supradictis addere, detrahere, commutare necesse sit? An in eo pauperum, vel Ecclesiarum, vel aliorum piorum locorum, aut miserabilium personarum mentio? Testamento Executores, qui prudentes, periti ac bona conscientia sint, constituant.

§. 7.

Quid si infirmus jam omnia necessaria adhibuisse dicatur?

SI quis Parochus vel Sacerdos accedit aut vocatur ad infirmum, qui jam confessus esse, & alia fecisse dicatur, videat tamen an aliquid in eo desiderari adhuc possit. 1. Circa sacram communionem. 2. Confessionem. 3. Restitutionem famae vel honorum. 4. Contritionem. 5. Pacem componendam aut stabilendam. 6. Testamentum faciendum, vel corrigendum. 7. Extremam unctionem capiendam. 8. Consolationem ei dandam. 9. Circa alia, quæ ab ipsomet infirmo intelligere licebit. 10. Circa ea quæ sequentibus §§. continentur, &c. Quæ quidem omnium diligenter suppleri curret, suppressa semper nimia spe temporalis vitae, ne à recta moriendo dispositione retrahatur infirmus.

§. 8.

Quomodo circa fidem quis juvetur?

Qui circa fidem, vel articulum ejus aliquem errare noscitur, aut dubitare, juvandus est. 1. Expositione articuli illius. 2. Authoritate Sacræ Scripturæ. 3. Authoritate SS. Patrum, Conciliorum, &c. 4. Professione fidei. 5. Recitatione Symboli Apostolorum, Sacerdote prælegente per modum orantis. 6. Si doctus fit infirmus recitatione

ejusdem Symboli per modum se Deo commendantis, Deo sibi offerentis, Deum obseruantis, gratias agentis &c. dicendo v. g. commendabo, offero me tibi, Miserere mei; Gratias ago tibi J E S V Christe, qui pro me passus, crucifixus, mortuus, sepultus &c. qui venturus es judicare, & mercedem reddere unicuique juxta opera sua, ideoque per intercessionem B. Mariæ omniumque Sanctorum, conservare me digneris in sancta Romana Ecclesia Catholica; dare remissionem peccatorum, per veram corundem confessionem, & contritionem, ac demum absque purgatoriis poenis vitam æternam, &c. sic in singulis articulis alios immiscendo, praesertim de quibus infirmus dubitare putatur.

Qui circa fidem (quod Diaboli inspiratio-
nibus accidere solet) tentatur, uti potest,
1. Unica & generali solutione, Credo quic-
quid credit sancta Mater Ecclesia. 2. Prote-
statione fidei, quale in Catholica fide perma-
nere, vivere, mori, nec latum ungues ab ea
discedere velle, expressis verbis coram testibus
declarat. 3. Generalibus argumentis, 1. ab
exemplo totum illud Sanctorum, propter hanc
fidem, & in ea mortuorum. 2. à testimonio
Dei, Angelorum, Sanctorum. 3. à miraculis
in hac fide, & ob eam editis. 4. ab antiquitate,
quæ etiam cognosci potest in Ecclesiis, Monas-
teriis, Episcopatibus ab Hæreticis jam du-
dum destructis, e quibus olim tot sancti viri
prodierunt; à perfectione disciplinæ Chri-
stianæ.

§. 9.

Quomodo juvetur quis circa spem.

Quod si infirmus circa spem errare vel tentari dignoscitur, vel quia frigidus est in spe erga Deum, vel quia sibi nimium praesumit, vel quia non nihil diffidit ac desperat, sequentibus opus est remediis. Qui frigidus est, 1. excitari in eo debet desiderium æternæ beatitudinis: quod fieri solet exaggerando calamitates, miseras & labores presentis vita, laudando vitam coelestem à visione Dei, à societate SS. Angelorum, & multorum millium Electorum; ab immortalitate, à securitate, à gaudiis & consolacionibus infinitis, & inenarrabilibus. Augeri spes consequenda beatitudinis potest; 1. Per considerationem bonitatis Dei, qui ita bonus est, ut licet per peccatum infinite offendatur, tamen non vult mortem peccatoris, sed magis, ut convertatur & vivat. 2. Per considerationem Passions & meritorum Christi. 3. Per contemplationem totum intercessorum B. M. Virginis Angelorum omnium SS. 4. Per breves quasdam & devotas oratiunculas. 5. Per excitationem contritionis &c. Qui excedit in spe,